



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. II. Hortatur ne filij Adæ quærant solatia mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

cula patrare, sed quia mitis sum, & humilis corde, cuius imitatione amara quæque dulcescunt.

Cap. II. Hortatur ne filij Adæ quærant solatia mundi.

NOui ceruicem vestram duram, filij Adæ: semper enim dulcissimo spiritui meo resististis, non fidentes promissis meis, sed auidè quærentes solatia peregrina. Sed nunc saltem, inclinata iam die, conuertimini ad me, & sub iugo meo suauissimo inuenietis requiem fatigatis animabus vestris. Tempus est, vt in hora nouissima, quærat me, & mundi vanitati antepontis suauissimam amicitiam meam. Venite ergo, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Quid vultis vobis in via Aegypti, vt bibatis aquam turbidam? & quid vobis cum via Assyriorum, vt profanas aquas hauriatis? Calix in manu mea quàm præclarus est, è quo vsque ad satietatem bibunt fidèles amici mei.

mei. Mirum est, quomodo non placeat vobis Cisterna Bethlehem, & inhiatis ad cisternas dissipatas, in medio filicis excisas. Ne bibatis de calice Babylonis, vbi mors auro tecta latet. Ecce, è vulneribus meis sanguinem, aquamque propino: vt cordis humani sitim expleatis. Accedite ad me, celerrimis affectuum gressibus, & lateri meo, quasi fonti viuo labia imprimite: vt satiemini ab vberibus consolationis meæ, & torrente voluptatis inebriemini. Fallax mundi gratia capiat gentes, quæ non nouerunt me, & ante Baal genua curuauerunt: Vos autem gens sancta, regale sacerdotium, & populus acquisitionis meæ, venenata mundi pocula, epulasque peccatorum respuentes, pura Iordanis aqua delectemini, fructuque ligni vitæ vescamini, in amænissimo paradiso, quem plantaui electis meis.

CAP. III.

*Monet sollicitudinem in æterna
salutis opere.*

Breues dies hominis sunt, & numerus

Λ 7

TUS